HIERONYMI HASTAEI

Ex Ordin. Min. Episcopi Verulani.

DE

IVRISPRVDENTIAE METHODIS

Siue de

Facili inuentione iusti,& æqui in vtroq; foro vnius Geometricæ proportionis ope tàm in iustitia distributiua, quàm commutatiua: Deq; iniusti facillima emendatione Arithmeticæ proportionis vsu.

AD SANCTISSIMVM D. N.

PAVLVM V. PONT. OPT. MAX.

ISAIAE XXVIII.

Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.



BRIXIAE, Apud Io. Baptistam, & Ant. Bozzolas 1614.

De Superiorum permissu.

PAVLO
QVINTO
PONTIFICI
OPTIMO MAX.

F. HIERONYMVS EPISCOPVS
VERVLANVS FOELICIT.

SANCTVS BERNARDVS, Beatiſsime Pater, in ijs libris, quos omni doctrina refertiſsimos, ſcripſit de munere Pontifi-

cio, ad EVGENIVM Papam ex ordine ſuo aſſumptum, tria in Iuriſconſultos ſui ſęculi grauiſſime aſſeruit. Primum eſt; nihil (ipſius verbis vtor) ſeruilius, indigniusq; præſertim ſummo Pontifice eſſe, quàm non dico omni die, ſed penè omni hora, litigantes audire, aut negotijs ſecularibus audiendis implicari, vtque quotidie perſtrepant in Palatio leges, ſed Iuſtiniani, non Domini. Non ea quidem ratione, quod viri Eccleſiaſtici hac poteſtate careant, vel ea indigni ſint: ſed quia eis indignum eſt, talibus inſiſtere, quippe potioribus occu-

occupatis. Quare occupationes has maledictas appellat, ſtultum laborem, officium vile, gradum contemptibilium, contemptibilioribusque hominibus de Apoſtoli ſententia demandandum. Alterum. Inſigniter quoſdam decipi, qui iudiciarium hoc onus ſaltem patienter ferendum cenſent; quia primatui primæ ſedis adeo annexum ſit, vt ſeiungi nequeat. Patientiam hanc vir Sanctus patientię amiciſsimus deridet, & improbat; quin nihil hac patientia Pontificibus periculoſius, pernicioſiusuè eſſe aſſeuerat; ſi ſcilicet ita aſſueſcant, vt

processu temporis, oneris graui-
tatem amplius non persentiscant.
Ita enim paulatim in cordis duritiam iri, inq; auersionem à Deo.
Quare a Pontificibus in his impatientiam interdum magis exigit, iram illam nempe ex virtute, quam Sancti Patres summis pręconijs, præsertim in Episcopis efferunt. Demum Sanctus Doctor modum, quo frequenter agitantur lites; Aduocatorum licentiam adeo odit, & execratur, vt nec ferendum putet, Aduocatos de his, quæ iuris sunt, Iudices instruere. Hęc ille ætatis suę errata deplorans, vtinam

non

non, & noſtræ. Quotus enim quiſque, & ex noſtris eſt, qui non & ipſe iudiciarium hoc munus perhonorificum eſſe cenſeat, patientia illa nihil laudabilius eſſe putet, inſtruendi licentia nihil æquius? Nonne & noſtri obijcient? Ergo ne vile, & ſeruile officium erit, quod proprium eſt Dominorum, atque Regum? Itane contemptibilibus hominibus demandabitur ars boni, & æqui, ijs competet vera, & non ſimulata Philoſophia, diuinarum, atque humanarum rerum notitia, cuius merito quis eos ſacerdotes appellet? Siccine

deſpi-

despicabiles homines facile decernent, quid in quaque re iustum, iniustumue' sit, quando viri Iurisconsultissimi, sapientissima Rota Auditoria, vel in vnico definiendo emergente articulo interdum per annum desudant? Ijs ego sanctissime Pater, quando animarum salus agitur; pro diuo BERNARDO respondendi onus suscepi: hoc quidem libro ostensurus cum Platone, Aristotele, à quibus Peripatetici omnes, Theologi vniuersi stant, sequentibus vero' experientia ipsa, enargiaque' in singulis Pandectarum libris com-

pro-

probaturus; duabus tantum regulis, ijsque certiſsimis, breuiſſimis, expeditiſsimis, Analogia ſcilicet Geometrica, & Arithmetica rite vniuerſum legale negotium abſolui poſſe, Ius quodcunque inueniri, iniuſtum omne emendari, fraudes cunctas detegi: vt nihil mirum ſit, ſi ſapientiſsimi viri, quin & Apoſtolus ipſe, ſenſerint, his explicatis tuto contemptibilibus hominibus iudicia committi poſſe; quo ſcilicet Pontifices, cęterique Principes graui hac ſeruitute, iugoque leuati iterum ſibi, potioribusque curis quaſi poſtliminio reſtituantur;

tur;

tur; & iuxta Isaiæ vaticinium, ponatur in pondere iudicium, & iustitia in mensura, sitque via directa, ita vt nec stulti errent per eam. Is scriptionis meæ scopus est. Cur verò immortalitati augustissimi nominis Sanctit. V. lucubrationes has dicandas censuerim, causas nemo puto quæret à me. Obuiæ cunctis sunt. Quis enim nesciat, me Beatit. V. post Deum omnia debere? Si idem Sanctus BERNARDVS illud primo loco à Christi Vicario exposcit, vt hæc deploret, vt hæc emendet; cui potiore iure hæ vigiliæ debebantur, quam

San-

Sanctitati V. quæ ex quo Deo auctore Christianæ Reipublicæ clauum tenet, & pro sapientia sibi à Deo data, qua vere' vt Angelus Dei fulget, fęlicissime' moderatur; quo zelo ignescat, vt idem sanctus optabat, aduersus impudentiam hanc, & generalem pestem, verbis, re, exemplo, vti Christi Vicarium decebat, vbique perpetuo', sed maxime' sanctissima constitutione super reformatione Tribunalium Vrbis ædita, clarissime, & summa cum laude patefecit? Suscipiat ergo, quæ eius clementia est, hoc non tàm munus, quàm opus

om-

omnino debitum ; illudq; ſacerrima ſua benedictione, qua maxime eget, munire non dedignetur. Et Deus Optimus Maximus Sanctitatem V. deuotiſsime incolumem Eccleſiæ ſuæ ſanctę ſeruet.

F. HIERONYMI
HASTAEI EPISCOPI VERVLANI
DE IVRISPRVDENTIAE METHODIS.

Auctoris Consilium. Cap. Primum.

IVSTITIA vocabulo latissimè sumpto Aristoteli idem est, quod virtutum omnium aggregatum; iustusquè vir, qui virtutibus omnibus præditus est: quare & iustitiam virtutem totam, vniuersalem, legitimam appellauit. Præssiore notione iustitia accepta est vniuersalis iustitiæ pars, versaturq; in rectè obeundis muneribus, quæ tum ad commutationes, contractus, & commercia; cum ad distributiones bonorum communium, puta pecuniarum publicarum, honorum, dignitatumq; Reipublicæ spectant: atquè hinc iustitia particularis, æqualitatisq;

 dicta

dicta est. Hanc in distributiuam, & emendatiuam iterum partitus est ea lege, vt in distributiua medium, æquum, iustum, ad Geometricæ proportionis regulas semper expendatur: in emendatiua autem inæqualitas, iniuria, iniustitia omnis Arithmeticæ proportionis auxilio emẽdetur, & corrigatur. Hæc summus Philosophus latè Eth. 5. Cui Theologi omnes subscripserunt, & iure quidem. Pugnæ, discordiæ, querelæ omnes inde oriuntur, cum huiuscemodi proportiones negligi, aut non obseruari putamus. Iudicis è contra officium in hoc vno situm est, vt iuxta has proportiones singula decernat, & emendet. Lex quęlibet, consuetudo omnis, iudiciũ quodcunq; eatenus iusta, ęqua, rationabilia sunt, quatenus his proportionibus fulciuntur; his vicissim ex toto, vel ex parte omissis, leges, consuetudines, pręcepta, decreta omnia iniusta, iniqua, à ratione aliena sunt. Demum ciuitatis institutio, status, pax, fęlicitas tota omnium confessione ex his pendet, & deriuatur. Quis ergo non miretur de his proportionibus (quas iustitię fundamentum, legum, & iudiciorum omnium animam, metrum iure dixeris) mirum vbiq; extare silentium apud Iur. Conf.? Quis inquam iure non miretur, præclarissimos hos viros in iure enucleando adeo egregiam nauasse operam, vt litteratos reliquos eruditione æquent, scriptorũ mul-

multitudine cunctos superent; tamen præclaram hanc de analogijs cognitionem, quæ lucis plurimum, laboris minimũ iuri vniuerso afferre potest, intactam reliquisse, vix à limine salutasse? hac præsertim tempestate, qua, quo plurima, præcipuaq; iudicum arbitrio relinquuntur, eo magis earum præsidio eos egere, extra controuersiam est. Hæc ergo mecum ipse reputans, non abs re fore putaui, si Aristotelis sententiam de harum vtraq; explicare (nec enim difficultatibus caret) simulquè exemplis ad praxim accommodatis illustrare, conarer. Si voti cōpos fuero, labor haud pænitendus erit; sin minus doctis viris stimulo sim ad meliora edenda.

QVID SIT RATIO, PROPORTIO, quid Analogia, seu proportionalitas Geometrica, & Arithmetica. Cap. II.

ANalogias tres agnoscunt Mathematici, Geometricam, Arithmeticam, Musicam. Ad rem nostrã duæ priores faciunt, quas ita declaro. Sumantur quatuor numeri ita inter se affecti, vt sicut se habet primus ad secundum, ita se habeat tertius ad quartum v3. vt se habent 12. ad 6. ita se habeant 8. ad 4. Hæc proportio Geometrica est,

in ea quatuor saltem rationes, seu proportiones obseruare licet. Prima sit, dum comparo primum numerum cum secũdo: emergit enim ratio dupla. Nam 12. bis continet 6. Secunda est, dum refero tertiũ ad quartum, quia item ratio dupla consurgit: 8. enim bis continet 4. Tertia, si comparo primum cum 3. nam resultat ratio sesquialtera; quia 12. semel cõtinet 8. & adhuc medietatem eius. Quarta, si comparo secundũ cum quarto, quæ ratio quoquè sesquialtera est. Hæ rationes, seu proportiones spectantur inter numeros ipsos: quare Euclides 5. elem. ita rationem definiuit. Ratio, siue proportio est duarum magnitudinum eiusdem generis mutua quædam secundũ quantitatem habitudo; si verò non numerus ad numerum comparetur, sed ratio duorum numerorum, puta primi ad secũdum, comparetur cum ratione aliorum duorum numerorum, puta tertij ad quartum, aut alternatim, sintquè hæ rationes eiusdem generis, hoc est vtraquè sit, aut dupla, aut tripla, aut sesquialtera &c. Hæc ratio duarum rationum dicitur Analogia. Cicero vertit proportionem, alij proportionalitatem. Hæc est vera Analogia Geometrica.

Diuiditur in continuam, & discretam: discreta quatuor minimum terminos habet, vt quam supra attuli. Continua constat ex tribus terminis; sed medius vice duorũ fungitur; quare actu tres termi-

terminos habet, virtute quatuor; exempli gratia, vt se habent 16. ad 8. ita 8. ad 4. ecce 8. bis sumitur, & vtrobiquè est ratio dupla.

Huius Analogiæ insigniores proprietates recẽset Philosophus lib. 5. Eth. de quibus inferius dicam opportuniore loco.

Arithmetica Analogia longè aliter se habet, vt quæ rationum similitudinem non considerat, sed tantum excessum numeri subsequentis super pręcedentem; quare non satis propriè Analogia appellatur. Sumantur tres numeri ita dispositi, vt quantum numerus secundus excedit primũ, tantum tertius excedat secundum. Hæc dicetur proportio Arithmetica; rectius appellaretur processus, siue processio, aut gradatio: exempli gratia, sint numeri 4. 7. 10. numerus secundus, idest 7. superat primum ternario: numerus tertius, idest 10. superat secundum item ternario, & ita posset in infinitum procedi. Sed ad propositum nostrum tres numeri satis sunt. Talis trium terminorum processio vocatur Analogia Arithmetica: quæ quoquè diuiditur in continuam, & discretam, vt de Geometrica dicebamus. Nunc quomodo proportiones hæ iustitiæ vsui aptentur, consideremus.

DE

DE ANALOGIARVM vsu multorum opinio. Cap. III.

IVSTITIAM particularē, quam Ariſtoteles definiuit, eſſe virtutem ad alterum in ijs, in quibus lucrum, & damnum contingere poteſt, noſtri ſęculi Scriptores plerique omnes diuidunt in diſtributiuam, & commutatiuam. Diſtributiuæ aſsignant pro materia bona publica vz. quæ vel à Republica diſtribuuntur in ciues, vt ſunt dignitates, magiſtratus, pecuniæ publicæ, & ſi quid aliud tale eſt, vel à ciuibus conferuntur, ſeu diſtribuuntur in vſum Reipublicæ. E contra commutatiuæ materiam eſſe volunt bona hominum priuatorum, quæ ciues inter ſe cō-mutant, vendendo, emendo, & huiuſmodi alia commercia exercendo. Ad hæc diſtributiuæ iuſtitiæ finem aiunt eſſe, ius ſuum vnicuique reddere, non ex æqualitate, ſed ſecundum proportionem Geometricam, ideſt pro meritis perſonarum præmia, onera, & pœnas aſsignando ſingulis. E contra iuſtitiæ commutatiuæ finem eſſe contendunt, veram æqualitatē in omnibus, perſonarum ratione neglecta, ſeruare, ex. gr̄a. Dum ciues in bonum publicum conferre debent ex bonis

nis proprijs portionē aliquam, sintquè ciues alij pauperes, alij diuites, non æquum esset, si pauperes tantundem contribuere tenerentur, quātum diuites: quare proportione agendum hoc modo. Qui 1000. possidet, cōtribuit 50. ergo qui 500. possidet, contribuat 25. Idem dicendum in distributionibus dignitatum, & præmiorum, & in pœnis. Qui valet 12. habet præmium vt 8. ergo qui valet 6. habet præmium vt 4. Pariter qui furatus est 100. vapulauit plagis 40. ergo qui furatus est 50. vapulabit plagis 20. At in commutationibus, personarum ratio nulla habenda est, sed solum, vt quantum quisq; dedit, tantum recipiat, vt vera æqualitas dati, ad acceptum semper seruetur. Tandem putant, proportionem Geometricam adeo esse propriam iustitiæ distributiuæ, vt commutatiuæ adaptari non possit: viceuersa proportionem Arithmeticam vni deseruire commutatiuæ; quod ita probare nituntur. In iustitia distributiua quatuor minimum semper cōsiderantur, duæ personæ scilicet, & duę res: totidem terminos minimum semper continet proportio Geomotrica, nunquam Arithmetica; ergo proportio Geometrica accommodata semper est iustitiæ distributiuæ, nunquam Arithmetica; è conuerso iustitia commutatiua non considerat personas, sed duas res tantum; ergo proportio Geometrica ei non deseruit, ergo deseruiet

uiet ſola proportio Arithmetica.

Singula hæc Ariſtotelis teſtimonio confirmãt. Is enim lib. 5. Eth. c. 2. & 4. diſcrimen ſtatuens inter iuſtitiam diſtributiuam, & eam, quę in contractibus emẽdandis verſatur, ait: [vna iuſtitiæ ſpecies eſt, quæ in diſtributione conſiſtit, aut honoris, aut pecuniarum, aut cæterarũ rerum, quæ inter eos diuidi poſſunt, qui in eadem ciuili ſocietate verſantur:] ecce (inquiunt) materiam iuſtitiæ diſtributiuæ bona communia. [Alia verò, quę in commercijs hominum emendandis verſatur:] ecce materiam iuſtitię commutatiuę bona priuatorum, & c. 3. ius diſtributiuum eſt eorum, quę communia ſunt. Quare nos inferre poſſumus; ergo ius commutatiuum eſt eorum, quæ priuata ſunt.

Solam autem proportionem Geometricam cõpetere iuſtitię diſtributiuę, Arithmeticam vni commutatiuę ex illis verbis deducunt c. 3. cum inquit Philoſophus; eſt autem ius diſtributiuum minimum in quatuor, & c. 4. ius diſtributiuum ſemper ea, quam dixi, proportione (Geometrica) conſtat: nota verbum (ſemper) iuſtum autem, quod eſt in commercijs, non illa proportione, ſed Arithmetica conſtat. Verba videntur omnino clara.

Tandem finem iuſtitię diſtributiuę non eſſe eundem cum fine commutatiuę, hoc eſt aliam ęqua-

ęqualitatem respicere distributiuam, & aliam cõmutatiuam, videtur ex Aristotele colligi c.4. [iustum, quod in contractibus corrigendis versatur, est illud quidem æquale quodam, & iniuriæ inęquale, sed non eadem proportione.] Ecce ergo proportionem Geometricam aliam ęqualitatem quęrere, & parere, & aliam Arithmeticā. Quare cum omnium confessione ęqualitas commutatiuæ sit æqualitas vera, vt 10. ad 10. 20. ad 20. ęqualitas iustitię distributiuę non erit talis, sed ex proportione quadam solum. Idem probatur ex verbis subsequentibus in eodem capite. [nihil enim refert (in commutatiua iustitia) vtrum vir bonus malum fraudauerit, an malus bonum; nequè vtrum vir bonus, an malus adulterium commiserit, sed ad damni tantum differentiam respicit lex, & hominibus vtitur tanquam ęqualibus.] at in iustitia distributiua semper personas spectamus, earumque rationem habemus; ergo alia ęqualitas quęritur in distributionibus, in qua personarum ratio attenditur, alia in commutationibus, in qua ad personas nihil respicit lex. Hæc summatim est aliorum opinio, quam diligenter expendere aggredior.

C RE-

RELATA SENTENTIA Expenditur. Cap. IV.

VTCVNQVE quę dicta sunt multorum auctoritati innitantur, & veritatis faciem pręseferant: Si rationem, si Aristotelem in consilium adhibeamus, non iniuria de eorum validitate dubitari posse videbimus.

Primo obseruo, Aristotelem nullibi iustitiam diuidere in distributiuam, & commutatiuam, sed solum in distributiuam, & emendatiuam, seu cor rectiuam. Ex professo hac de re agit lib. 5. Eth. c.2.& 4. verba eius in calce c.2. hęc sunt. [Iustitię vna species est, quę in distributione, vel honoris, vel pecunię, vel aliarum rerum, quę inter eos diuidi possunt, qui eiusdem Reipublicę communione coniuncti sunt, versatur: altera quę in rebus contrahendis vim emēdandi habet] Gręcè est διορθωτικόν. Idem verbum habetur in initio capitis quarti. Febrianus ita vertit. Atque hęc (distributiua) vna iuris species est; reliqua verò altero iuris est emendatiui. Quare Aristoteles non agnoscit nisi iustitiam διανεμητικὴν idest distributiuam, & διορθωτικὴν siue ἐπανορθωτικὴν idest emendatiuā, seu correctiuam; commutatiuæ nunquam meminit.

nit. Quantum id obseruasse referat, infra videbimus.

Secundo, Haud videtur verum esse, quod ipsi affirmant, Analogiam Geometricam locum nō habere nisi in iustitia distributiua, siue vbi de bonis publicis agitur, personarumquè ratio habetur; vbi autem de bonis priuatorum tractatur, personarumquè rationem ommittimus, solam proportionem Arithmeticam deseruire: pugnant enim cum Aristotele, qui lib. eod. c. 5. disertis verbis docet commutationem iustam inter opus architecti, & opus sutoris (hæc dubio procul bona priuata sunt, non publica) fieri non posse, nisi seruetur in ea vera Analogia quatuor terminorum, idest Geometrica, quam hoc modo explicat.

Vt se habet Architectus, puta 6. ad sutorem, puta 3. ecce rationem personarum.

Ita se habet domus, puta 4. ad calceos, puta 2. ecce res priuatas.

Vtrobique est ratio dupla; ergo si commutatio iustè fieri debet, qua architectus accipiat calceos, pro domo, & seruetur æqualitas, necesse est accipere tot calceos, quot æquiualeant domui, idest 4. calceos pro vna domo: aliter est inæqualitas, & iniustitia. Ecce ergo Analogiam Geometricam exactam in materia, seu bonis priuatorum, quod illi negabant; locus is torsit multos, nemo tamen euasit, quin clarissimè loquatur de

materia priuata, æqualitate propria, & Analogia Geometrica.

Nec eſt, quod aliquis dicat, rarò, & per accidens locum habere poſſe Analogiam Geometricam in permutationibus; id namquè ſe perpetuum, & omninò neceſſarium docet idem Ariſtoteles. Ciuitas (inquit) conſtat ex diſsimilibus, & inæqualibus; ciues commutant inter ſe diſsimilia, & inæqualia. Quis enim triticum æquè bonum commutet cum tritico æquè bono? quis calceos cum calceis? calceos commutat ſutor cum tritico agricolæ; quare calcei ęquandi ſunt cum tritico; id abſquè Analogia Geometrica fieri nequit, ergo Analogia Geometrica omninò, & ſemper in commutationibus neceſſaria eſt. Idem confirmat Philoſophus lib. 9. Eth. c. 1. in princ. in hæc verba. In omnibus amicitijs, quæ ſunt diſsimiles ſpecie, comparatio rationum (ideſt Analogia Geometrica) amicitiam cõſeruat; quemadmodum (hoc nota) & in ciuili ſutori pro calceis, pro dignitate (ideſt perſonarum habita ratione) commutatio fit, textori item, & reliquis. Verba clariſsima ſunt omni ambage remota.

Tertio, In vindicationibus, & pœnis (quas ſcriptores paſsim referũt ad ius commutatiuum) perſonarum rationem haberi oportere, docuit Ariſtoteles contra Pythagorę os c. 5. eiuſdem libri. Damnans enim retaliationem, in qua ſola illi

lï iuſtum ſtatuebant, inquit [ſi magiſtratum quis gerens percuſſerit, repercutiendus non eſt; Si autem magiſtratum gerentem quis percuſſerit; non ſolum eſt percutiendus, ſed ſupplicio inſuper afficiendus.]

Quarto, Dum Analogiam Arithmeticam vni iuſtitiæ commutatiuæ addictam eſſe volunt, explicare quoquè debebant, quis ſit eiuſdem Analogiæ vſus in commutationibus, v3 num Analogia Arithmetica deſeruiat & ipſa inuentioni iuſti, & æqui, an emendationi, & correctioni tantum errorum, qui in iuſtitia commutatiua contingere poſſunt. Si enim velint, Analogiam Arithmeticam vim quoquè inuentiuam habere; declarandum eis erat, quo pacto id fieri poſsit: cum hæc Analogia, vt minimum ſemper requirat tres numeros; in commutationibus autem duo termini tantum locum habent; datum ſcilicet, & acceptum. Ad hæc Analogiæ Arithmeticæ termini neceſſariò ſunt inæquales datum autem, & acceptum ſemper æqualia eſſe debent. Quare parum prodeſt nobis ſcire, æqualitatem in commutationibus ſeruandam eſſe iuxta Analogiam Arithmeticam, ſi ignoremus, quomodo hanc æqualitatem per hanc Analogiam venari debeamus.

Si verò dicant, Analogiam Arithmeticam non inuentioni, ſed emendationi, vbi ſcilicet aberratum eſt, in commutationibus, deſeruire: nequè id ſuf-

ſufficit: nam exponendum erat, qua ratione termini inęquales huius Analogię emendare poſsint inæqualitatem cõmerciorum, & ad æqualitatem reducere. Quomodo enim ex inæqualibus æqualia eliciemus? nam cum aberratum eſt à iuſto, vt data non ſint æqualia acceptis, ſi ſcimus, quid erat iuſtum, non opus habemus illud iterum per Analogiam inueſtigare, ſed ſatis eſt, ſubducere ex maiori partem, quæ excedit iuſtum, ſiue medium, & eam addere minori, & ita ad æqualitatem omnia redigere. Si verò tale medium, & iuſtum nobis ignotum eſt, nunquam per ſolam Analogiam Arithmeticam illud inueniemus. Quare hęc Analogia videtur inutilis.

Præterea non ſolum in commutationibus contingit deflectere à iuſto, ſed errata multa, eaquè grauiora admittuntur etiam in diſtributionibus, & contributionibus; quare ergo Ariſtoteles docuit viam emendandi errores in iuſtitiam commutatiuam, non autem in diſtributiuam, contributiuam, & vindicatiuam?

Quinto, ęqualitas iſtis duplex eſt; vera, & Analogica. Veram dat de horum ſententia ſola Analogia Arithmetica, Analogicam ſola Geometrica. At nos probauimus, Analogiam Geometricam ęquè locum habere in diſtributionibus, ac in commutationibus: ergo etiam ęqualitas vera ęquè locum habet in iuſtitia diſtributiua, ac in

com-

commutatiua. Sed in iuſtitia diſtributiua ęqualitas ſemper per proportionem Geometricam elicitur, ergo proportio Geometrica elicit etiam æqualitatem veram, quod iſti negabant.

His, & alijs difficultatibus vrgetur communis ſententia. Pro veritate quid ſentiendum ſit, iam diſcutiamus.

AVCTORIS OPINIO,
Et tractandorum conſpectus. Cap. V.

IVSTITIA virtus eſt, qua ius ſuum vnicuiquè reddere con-ſtanter, & perpetuò volumus: ergo viri iuſti partes duæ ſunt; altera cognoſcere, quid cuiquè debeatur; altera reapſe conſtanter, & omni tempore præſtare velle. Qui enim reddet ea, quę cuiquè debentur, ſi quantum reddendum ſit, ignoret? igitur ſi Analogiæ, quas declarauimus, iuſtitiæ deſeruiunt; vel cognitioni, vel voluntati deſeruiant, neceſſe eſt. Voluntati quid conferre poſſunt, ſi nil niſi proportiones ſunt? quid proportionibus voluntati opus eſt? quare intellectui tantum famulantur. Quo pacto? in certam, & facilem, vt ego puto, iuſti, & æqui inuentionem nos deducendo. Quò enim alio

alio intellectus egere potest? iusto autem, & ęquo per intellectum agnito; quid reliquũ est, nisi vt voluntas imperet, & exequatur? quomodo igitur hæ Analogiæ methodi, idest viæ ad iustum in vnaquaquè re eruendum regiæ sint, contemplan. est.

Μέθοδος Græcè idem est, quod Latinè via. Vt enim in itineribus viæ rectæ rectà nos ad locum, vbi peruenire cupimus, ducunt: ita in disciplinis methodi certè, & faciliter perducunt nos in rerũ quæsitarum cognitionem. Hæc natura methodi est: diuiditur in ordinem, & viam, seu methodum propriè dictam. Via inuenit, quia vim inferendi, idest, syllogisticam habet. Ordo inuenta tantum disponit, & ritè collocat; ea tamen ratione, vt & ipsa dispositio cõferat nostræ vel meliori, vel faciliori cognitioni. Omne tulit punctũ, qui vtrumq; assequitur; vt scilicet inueniat, & rectè disponat.

Quare tria mihi hoc loco ostendenda sunt. Primum est, Analogias nostras esse methodos priore tantummodo, idest vim syllogisticam, & illatiuam habere. Alteram, eas adeo egregiè aptari posse ad iustitiam, vt earum tantum auxilio, quid sit iustum, in vnaquaque re inueniri possit, quæstionesquè omnes de iustitia, & iure illarum ope dissolui queant. Tertium, nullas his esse vias certiores, & faciliores. His expeditis, de ordine, seu recta ratione disponendi, nonnulla tangam. A proportione Giometrica ordior.

ANA-

ANALOGIA GEOMETRICA verè methodus est. Cap. VI.

ANALOGIAM Geometricam esse methodum propriè dictam, docuit Aristoteles lib. 1. Phys. dum primam rerum materiam non nisi per Analogiam scibilẽ esse pronunciauit: ipsum autem loqui de Analogia Geometrica, extra controuersiam est. Ex proportione enim ad materiam artefactorum inueniri posse materiam primam naturalem, ostendit; eadem venatus est naturam Rhetoricæ per proportionem scilicet ad Dialecticam. Ideo in initio primi libri Rhetor. ait Ἡ Ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, hoc est Rhetorica ex altera parte (proportione) respondet Dialecticę. Alibi quoquè non semel eadem Analogia, vt methodo vtimur, præsertim in libris de partibus animalium, & in libris Physicorum: quare de Aristotelis sententia non est dubitandum.

Plato mirabiliora de eadem lib. 6. de legibus, & in Gorgia refert, & testatur. Asserit enim, eam esse verissimam, atq; diuinam, & quæ vix homini innotescat, soli propè Deo sit nota. Quantulacunq; tamen eius homini sit notitia, hac vna Respublicas, domos, & omnes cœtus contineri,

Deum ipſum hac vſum eſſe in moliendo mundo; hominem quoq; vt μικρόκοσμον hac Analogia conſtare, dum partes animi ordinem inter ſe ſeruant, imperet ratio, pareant ira, & cupiditas, atquè ita iuſtitia, & temperantia; ideſt virtutum concentus, & harmonia in homine exiſtat. Hæc Phyloſophorum Coriphæi, à quibus Theologi omnes ſtant.

Quin oculis ipſis Analogiæ Geometricæ ius methodica penè conſpicitur ob proprietates inſignes, quibus prædita eſt: ſumantur ijdem numeri, qui cap. 2. accepti fuere.

12. 6. 8. 4.

IN iſtis licet ſemper ita argumentari. Si vt 12. ſe habent ad 6. ita 8. ſe habeant ad 4. ergo poſſumus ſemper inferre, vt ſe habet primus ad tertium ideſt 12. ad 8. eodem modo ſe habet ſecundus ad quartum. Nam vt primus ad tertium rationem ſeſquialteram habet; quia 12. continet 8. ſemel, & adhuc dimidiam eius, ita ſecundus ad quartum rationem etiam ſeſquialteram dicit: quia 6. ſemel continet 4. & inſuper medietatem eius. Quare Analogia Geometrica verè vim methodicam habet, & in ea latet ſyllogiſmus quidam, vt infra clarius patebit. Hæc eſt valde notabilis huius Analogiæ proprietas, qua in omnibus rebus iuſtum, & æquum inueniri poſſe monſtrabo. Alias etiam proprietates habet, quibus

ius

ius inferendi ineſt. Duas apponit Ariſtoteles, quatuor alij addidere. De his alibi oportunius verba faciam.

ANALOGIA GEOMETRICA iuſtitię aptatur, & eius ope, quid iuſtum ſit in vnaquaq; re tàm in iuſtitia diſtributiua, quàm commutatiua inuenitur. Cap. VII.

VBicunquè inueniuntur quatuor termini diſpoſiti ſecundum rationem directam, ideſt, quorum primus ita ſe habeat ad ſecundum, vt tertius ad quartum ibi inuenitur Analogia Geometrica. Sed in actionibus iuſtitiæ ſemper inueniuntur quatuor termini tales: ergo in actionibus iuſtitiæ ſemper inuenitur Analogia Geometrica.

Maior propoſitio huius ſyllogiſmi ita probatur. Numeri dupliciter à nobis conſiderari poſſunt, à rebus abiuncti, & mente ſola concepti; & rebus ipſis iuncti, & applicati: hos numeros numeratos, illos numerantes, vel numerabiles vocant. Vt vt conſiderentur, regulæ Logiſticæ, & illationes, quæ locum habent in illis, habent etiam in iſtis. Si enim 8. ad 4. rationem verè du-

plam habent; cur non eandem habebunt octo domus ad quatuor domus, octo calcei ad quatuor calceos? vnde cognoſcimus, eas regulas valere in numeris à rebus ſeiūctis; niſi quia prima agnouimus, eas valere in rebus numeratis? ſed in numeris à rebus diſcretis Analogia Geometrica vim verè methodicam, ſiue inferendi, ſeu colligēdi habet, ergo eandem vim habebit applicata rebus, ſiue in rebus ipſis, Phyloſophus id aſſeruit lib. 5. Eth. c. 8. & experientia verum eſſe cernitur. Si enim hæc Analogia aptatur rebus Phyſicis, puta materiæ primæ, animalium partibus, & id genus, vt Ariſtoteles, & ante eum Plato docuit: cur non idem eueniet in actionibus iuſtitiæ?

Minorem propoſitionem res ipſa declarat. Sumatur Achilles, vt antecedens primo loco, & valeat 12. Aiax vt conſequens ſecundo loco, & valeat 6. Semper enim perſona nota collocatur primo loco, & perſona de qua quæritur ſecundo loco. Tertio loco ſtatuatur antecedens ſecundum, ius Achillis quod ſit 8. poſtremum locum occupabit ius Aiacis, ſiue ſecūdum conſequens, quod eſt 4. Hæ quatuor res numeratæ habent inter ſe rationem directam, non ſecus ac numeri ipſi, ergo in his quatuor rebus reperitur vera Analogia Geometrica. Idem dicendum eſt in alijs rebus iuſtitiæ: quare Analogia Geometrica rebus iuſtitiæ ſemper aptatur.

Modo

Modo probo, eandem Analogiam locum habere in iustitia tàm distributiua, quàm commutatiua, quod, vt dixi, tantum non omnes negant, atq. eandem vbiq; & semper inuenire, quid sit iustum in qualibet re, & per eandem solui, & dissolui omnes, & quascunquè quæstiones, & difficultates, quæ circa ius contingere possunt.

Vbicunquè in quatuor rebus inuenitur ratio directa, inuenitur etiam ratio alterna, seu permutata: idest, licet inferre, sicut se habet primum ad tertium, ita se habet secundum ad quartum. Hęc propositio omni difficultate caret ex prædictis. Sed in omnibus actionibus iustitiæ ratio directa locum habet, vt mox probabo: ergo in omnibus actionibus iustitię locum habet etiam ratio alterna, seu permutata Sed quęrere, & inuenire, quid sit iustum, aut æquum in qualibet re, nihil aliud est, quam quęrere, & inuenire hanc rationem alternam, siue permutatam, hoc est id, quod infertur per eam; ergo Analogia Geometrica dans hāc rationem alternā, docet etiam inuenire omne iustum, & ęquum in qualibet re. Accuratè hęc expendamus, quia in his omnis difficultas, & tota vtilitas pręsentis contemplationis sita est. Duo ergo oportet, vt patefaciam. Primum in omni actione iustitię tàm distribuentis, quàm commutantis locum semper habere rationem directam, & consequenter permutatam; alterum, in hac per-

permutata consistere omnem inuentionem iusti, & ęqui: hoc postremum priore loco demonstro.

Accedat aliquis petens ex iustitia aliquid, puta Aiax laborũ suorum pręmium petat quatuor, qua ratione inuenire possumus, Aiacem iure petere quatuor, seu ius eius esse quatuor non plus, non minus? sola proportione Geometrica, dum permutata ratione vtemur hoc modo.

In omni Analogia, vt supra dixi, latet syllogismus quidam. Omnis syllogismus ex duobus terminis notis infert tertium ignotum; idest ex duabus rebus præcognitis ducit in cognitionem tertiæ rei incognitæ: quæ ergo sunt in Analogia nostra duæ res præcognitæ, quæ notitiam pariunt tertiæ ignotæ? Respondeo. Prima res nota in Analogia est ratio primi termini cum tertio, puta Achillem, qui valet 12. ius habere, vt 8. Altera est ratio primi ad secundum, id est Achillis ad Aiacem: hanc præcognoscere debemus, nempe Aiacem collatum cum Achille valere dimidium eius, hoc est 6. Ex his duabus rebus notis, deducimus necessariò tertiam, quam quærebamus, idest quantum sit ius Aiacis, quod est quatuor non plus non minus hoc modo.

Achilles valet 12. Aiax valet 6. ius Achillis est 8. ergo ius Aiacis est quatuor, vt enim se habet persona ad personam, ita ius ad ius: sed persona Achillis habet rationem dupli ad perso-

nam

nam Aiacis, ergo & ius Achillis erit duplum, respectu iuris Aiacis. Ecce rationem perpetuò inueniendi ius, quod quęrimus, semper consistere, vt dixit Aristoteles in hac permutatione, seu iugatione primi cum tertio, & secundi cum quarto. Quare si quis quęrat, quid est ius alicuius? respondendum est: ius nihil aliud est, quam portio alicui debita, quæ elicitur ex comparatione primi cum tertio, & secundi cum quarto; hoc est, quicquid elicitur quarto loco in hac Analogia ex ratione alterna, ius iustum est: quicquid excedit talem numerum quarto loco illatum, vel deficit ab eo, iniustum est. Quid est quærere ius? est quęrere quartum numerum Analogię Geometricę eadem ratione, qua in commutationibus fit 7. dant 8. 10. quid dabunt?

Nunc probo, in omni actione iustitiæ habere locum hanc Analogiam, hāc rationem directam, & permutatam, & consequenter per hanc Analogiam omne iustum inueniri.

Quæ ad iustitiam pertinent, ad quatuor capita reuocari posse videntur: sunt enim vel iustè facta, vel iniustè facta; si iniustè facta, opus habent emendatione. Ecce ergo primum iuris genus, emendationes, siue vindicationes; si sunt iustè facta, hoc dupliciter, vel enim respiciunt bonum commune, vel bonum priuatorum: si bona priuatorum, ecce commutationes,

&

& commercia inter ciues, quod est secundum ius: si bonum publicum adhuc dupliciter; vel enim respiciunt bona publica distribuenda in ciues, vt sunt magistratus, dignitates, pecunię publicæ, & si quid aliud tale est: ecce distributiones; vel tandem respiciunt bona, quæ in publicum vsum, & commodum sunt à ciuibus conferenda; ecce contributiones. Aliud genus communicationis bonorum non est reperire; quare si monstrauero, Analogiam Geometricam in his omnibus inuenire, quid sit iustum, & ęquum, & quid iniustum, & iniquum, patefactum quoque erit, quod secundo loco pollicitus sum; huius Analogiæ præsidio cunctas de iustitia, & iure quæstiones, & difficultates dissolui, & absolui posse. Num ita sit experiamur, à distributionibus initium capientes.

In distributionibus magistratuum, dignitatum, honorum, pecuniarum publicarum, & si quid aliud tale est, rationem personarum semper habendam esse, omnes consentiunt. Nisi .n. pro suo quisq. merito præmio, & pœna afficiatur; nisi æqualitas, quę nullm inter bonos, & improbos discrimen facit, reprobetur, & ablegetur, rixis, & seditionibus cuncta misceantur, necesse est.

Igitur Analogia Geometrica vtendum; at hanc inueniendi iustum vim habere, iam ostendimus, ergo hæc Analogia dissoluit omnes difficultates

circa

circa inuentionem iusti, & ęqui in distributionibus.

Idem dicendum in contributionibus. Cum iustitia enim pugnat, vt tantundem pauper, ac diues contribuat; ergo pro magnitudine census, seu multitudine diuitiarum contributiones, onera, seruitutes exigendæ sunt, quod sola Analogia Geometrica, vt omnes norunt, pręstare potest.

In commutationibus, & commercijs multi putant solam proportionem arithmeticam locum habere, nunquam Geometricam: at oppositum omnino verum esse, censeo. Supra enim ex Aristotele docui, in omnibus commercijs adhibendam esse Analogiam Geometricam; quia hæc sola rerum momenta exactissimè perquirit. Agnito enim rerum vero valore, quod vlterius opus nobis est? Hoc autem ignorato, quid nobis prodest scire, veram æqualitatem seruandam esse? Agricola commutare vult triticū cum architecto pro domo. Vt ęqualitas seruetur, inuestigemus oportet, quantum valeat domus, quantum valet triticum, vt cognoscere possimus, quantum tritici dandum sit pro domo. Verum vtriusquè valorem non patefacit Analogia Arithmetica, sed sola Geometrica, quæ illud elicit, habita ratione personarum, temporis, loci, sed præcipuè necessitatis, siue indigentiæ. Perquiret enim quantum dietim lucrari possit, tum agricola terram colen-

do, tum architectus ędificando; inde quot dies consumpserit agricola terram arando, triticum serendo, metendo &c. quot dies quoquè consumpserit architectus in fabricando domum: quot sumptus fecerit in emenda, cedenda, & trasportanda materia: inde ex singulis colligendo inuenit, quantum valeat domus, quantum triticum, & ex hac Analogia reperit, quot modij tritici æquiualeant domui. Adhæc quis ignorat, in mercedibus operum, quas ad iustitiam commutatiuã pertinere aduersarij fatentur, habendam esse rationem personarum? lixa, piscator, non ęquantur in mercede Chirurgo, Medico, non miles duci: & ita in reliquis. Quare extra controuersiam sit, in commutationibus priores partes Analogię Geometricæ dãdas esse. Cui vsui sit proportio Arithmetica, dicam inferius.

Haud aliter sentiendum in vindicationibus, & pœnis. Non omnia delicta, & errata, quod stoici censebant, paria sunt: ergo nequè pœnę pares esse debent. Pro mensura delicti (inquiunt diuina oracula) sit plagarum modus. Quare Analogia hic quoquè vtendum, personarumquè ratio habenda, vt supra ex Aristotele probaui contra multos; contra quos sacra cõcilia, sacri canones, vt omittã leges ciuiles, quoq; clamãt. In pœnis quippe irrogandis aliter homines ex populo, aliter magistratus, longè aliter Prelatos afficiunt.

De-

Demum antiquos Iur. Conſ. nobiſcum ſenſiſſe, euidenter apparet ex libris inſtitutionum Iuſtiniani Imperatoris. Cur enim Iuſtinianus vniuerſum legale negotium diuiſit in perſonas, res, & actiones, & adhęc tria totam iuriſprudentiam referri teſtatus eſt? Quid aliud amplectitur Analogia Geometrica, quam perſonas, res, & iura? Quid aliud ſunt actiones, quam iura, quę perſonis in rebus competunt? niſi ita Iuſtinianum interpretemur, diſtinctio illa ſubſiſtere nequit, & puerilis eſt. Nonnè enim & perſonę. & iura, ſiue actiones res ſunt, & rei appellatione veniunt? at ſi ad Analogiam eam aptemus, diſtinctio illa magnam olet priſcorum doctrinam, magnumquè acumen.

Iſaię teſtimonio caput hoc obſignare libet, qui c. 28. Deum ita loquentem inducit. Ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura. Quid menſurę, & ſtateræ ſimilitudine niſi Analogia noſtra elegantiſsimè ſignificatur? Vtraq. enim pondus quęſitum proportione Geometrica indicat, & reddit. Verum omnia hęc clariora fient, ſi contra ea dubitationes quaſdam addiderimus.

CONTRA ALLATAM sententiam disputatur. Cap. VIII.

CONTRA nostram sententiam dubitare aliquis posset. Primo ex dictis probatur vtiq. Analogiam Geometricam habere locum in cunctis speciebus iuris; idest in contributionibus, distributionibus, commutationibus,& emendationibus: at non probatur, cunctas difficultates per eandem dissolui. Primo, quia hęc Analogia quatuor terminos requirit, duas personas, & duas res; at in iuris difficultatibus sæpè contingit, vt non sint tot personæ, nec tot res, sed modo plures, modo pauciores: ergo in difficultatibus iuris sępè euenit, vt Analogię Geometricæ non sit locus. Maior propositio patet: minor probatur. Primo non rarò accidit, vt res ad quam, siue in qua ius prętenditur, sit vnica, diuisionisq, minimè capax; vt Pontificatus, Regnum, Prętura, & id genus, quę vni tantum conferri possunt. In eadem tamen re modo vnica persona, modo duę, modo decem, viginti, centum personę ius prætēdunt; & ex his quędam nullum ius habent, quędam habent in totum, quædam ex parte tantum. Quomodo Analogia Geometrica, quę semper

qua-

quatuor minimum terminos exigit, his casibus aptari poterit, in quibus personę modo sunt vna, modo duę, modo tres, modo plures? Quomodo eadem Analogia inueniet, huic nullum ius esse, isti plenum, illi ex parte tantum?

Secundo, Si verò res sit vna, & diuisionis capax, quales sunt hæreditates, nummi, prædia, & huiusmodi, sæpe contingit, vt eadem prętendant modo vnus, modo plures, & ex his quidam ex asse, quidam ex parte tantum, quidam prętendunt quidem, sed reuera nihil iuris in ea habent. Quo pacto eadem Analogia docere poterit, huic nullum ius competere, illi competere ex asse, isti ex dodrante, aut triente, cæterisquè partibus innumerabilibus?

Tertio, E contra interdum idem homo duas, seu plures res petit. Qui Analogia duarum personarum, ac duarum rerum locum habere poterit, vbi persona vnica est, & res modo duæ, modo decem, modo centum?

Secunda dubitatio. Quæstiones aliæ sunt facti, aliæ iuris; ex his quædam ordinem iudiciarium, quædam negotium particulare, quod meritum vocant, respiciunt. Poteruntnè enodari per Analogiam Geometricam ęquè hę, ac illę?

Tertia dubitatio. Ex facto quidem ius oritur; verum ad facti validitatem, ad euitandas contrahentium fraudes, multa principes sanxerunt, mul

ta populorum tacitus consensus, seu recepta consuetudo in mores induxit. Sola nè Analogia his omnibus faciet satis?

Quarta dubitatio. A tacitis, vel ambiguis conuentionibus, quæ rei acquisitionem, possessionem, & recuperationem concernunt, lites omnes ortum trahunt. Horum defectui supplerenè poterit sola Analogia?

Quinta dubitatio. Dum tot tribuimus Analogiæ Geometricæ; nullusnè locus supererit Analogiæ Arithmeticę, quod Aristoteles voluit; nullusnè harmonicæ, quod multi putant: nullusnè reliquis analogiarum speciebus, si quæ sunt?

Sexta dubitatio. Ius ciuile quandoquè dissonat à iure canonico, à municipali, à consuetudine recepta: quandoquè à se ipso, puta ius vetus à iure nouo: iura, & leges, quæ vni Reipublicę aptantur, alij Reipublicę non congruunt. Conciliabitnè has lites, tolletnè hęc dissidia vna Analogia?

Septima dubitatio. Priscos Iur. Cons. dum iurisprudentiam ad tria capita redegerunt, ad personas, res, & actiones, analogiarum vsum agnouisse, certum est: ergo & eos sequuti Iustinianus, & reliqui Imperatores ad Analogiarum amussim responsa ediderunt, leges condiderunt. Quid ergo opus est, iterum sapientum responsa, principũ sanctiones ad calculum reuocare? si obscurę leges

ges ſunt, habemus paſsim viros eruditiſsimos, qui eas interpretentur; ſi qua ex parte leges emendatione egent, quod interdum à recto priſci illi verę religionis ignari deflexerint: à Summis Pontificibus, æcumenicis Concilijs, ſacris Canonibus egregiè id præſtitum eſt. Quid Analogijs amplius egemus?

OBIECTIS RESPONDETVR. Cap. IX.

Vt obiecta hæc diluantur, Analogiarumquè vſus clarius pateat, quædam mihi ſumo, quæ nemo, puto, negabit. Primum ſit. Analogia Geometrica methodus appellatur, quia in ea, vt dixi, ſyllogiſmus quidam ſemper latet. Huius ſyllogiſmi maius extremum eſt ius, quod quęritur, minus extremum perſona, cuius ius quęritur; medium alia perſona, quę vt notior aſſumitur. Quare talis ratio formatur. Vt ſe habet perſona ad perſonam, puta Achilles ad Aiacem; ita ius ad ius. Sed Achilles collatus Aiaci habet rationem dupli; ergo etiam ius Achillis erit duplũ ad ius Aiacis; ſed ius Achillis eſt 8. ergo ius Aiacis erit quatuor.

Secundo latere nos non debet medium huius ſyl-

ſyllogiſmi, ſiue rationem medij, ad minus extremum, ſumi à nobis poſſe multipliciter tunc ratione quantitatis, tunc ratione dignitatis. Nam ſicut hic aſſumpſimus medium perſonam Achillis, quę maioris meriti eſt, quam Aiax; ita aſſumere poteramus aliam perſonam minoris ordinis, & meriti, & idem ius Aiacis inuentum fuiſſet, hoc modo.

Vt ſe habet Titius, puta 3. ad Aiacem, puta 6. quæ eſt ratio ſubdupla, ita ius Titij, ad ius Aiacis, ſed ius Titij eſt 2. ergo ius Aiacis erit quatuor, ecce idem ius illatum ex Analogia, quæ medium habet rationem inæqualitatis minoris cum maiore extremo.

Haud ſecus aſſumi poteſt pro medio perſona æqualis ſubſellij, vt ſi dicamus.

Vt ſe habet perſona Alexandri, puta 12. ad Cęſarem, qui etiam valet 12. ita ius Alexandri ad ius Cęſaris.

Sed ius Alexandri eſt 8.

Ergo ius quoquè Cæſaris erit 8.

Idem dicendum eſt in contributionibus, commutationibus, & pœnis, vt colligere idem ius liceat, tàm à medio inęquali maiore, ſeu minore, quod omnes concedunt: quam ab æquali, quod multi negare videntur. Cur enim non liceat ita ratiocinari?

Craſſus poſsidet 1000. & contribuit 100.

Lucul-

Lucullus quoquè posſidet 1000. Cur ergo etiam Lucullus non contribuet 100?

Seius furatus eſt 1000. vapulauit plagis 40.

Titius etiam furatus 1000. eſt, quare pariter non vapulabit plagis 40. cæteris tamen paribus? Quia certum eſt in pœnis rationem perſonarum habendam eſſe; plagis ſubijcitur ſeruus ignobilis, non ita vir nobilis, illuſtris. Ratione ergo quantitatis fas nobis eſt, argumentari æquè ab æquali, ac à maiore, & minore, & ſemper idem ius colligitur. Quare, quod vulgo dicitur, in ſola iuſtitia commutatiua attendi, & colligi verã æqualitatem, interpretatione molliendum eſt.

Tertio. Ratione quoquè dignitatis, ſeu præſtantiæ variatur medium in Analogijs; quia non in omnibus ciuitatibus eadem dignitas attenditur: Nam in optima Republica ſola virtus inſpicitur, ideo in ea diſtributiones omnes fiunt habita ratione virtutis; quo quis maiore virtute præditus eſt, eo alijs antefertur. Non ita in cæteris Rebus pub. quæ à perfectione deficiunt. Nam in quibuſdam attenditur nobilitas, in nonnullis diuitiæ, alibi libertas, alicubi ſola ſucceſsio, ſiue ſanguinis propagatio: quare in his dignos honoribus homines facit non virtus præcipuè, ſed id quod in vnaquaquè præcipuum habetur. Vbi verò libertas antefertur, vt in Rebus publicis popularibus, æqualitas maximè ſeruatur.

Quarto. Ex his efficitur necessariò, vt leges eædem cunctis Rebuspublicis seruire nequeant ob finium scilicet,& dignitatis differentiam. Leges enim,quas vera Analogia formauit in optima Republica habita ratione virtutis,non aptantur, vbi nobilibus tantum, aut diuitibus, aut cunctis indiscriminatim magistratus, dignitates, & præmia conferuntur. Respublica v.g. Romanorum virtutem bellicam sectabatur, huic fini expropor tione leges suas attemperauit: militibus potiora detulit, hos, quibus magis egebat, cunctis antistare voluit;quod & Turcæ modò faciunt.ex quo Iulius Cæsar Rempublicam militum auxilio inuasit,militibus multa deferre,vellet, nollet,opus erat. Haud secus facere cogebatur Octauianus, vt Imperium adhuc nutans firmaret. Hæ leges qui aptari possunt Politicis Christianis,quæ optimæ Respublicæ esse debent; quibus pax, charitas, virtus omnis vera, & præcipua dignitas est? Iis fundamentis iactis ad solutionem obiectorum accedo.

Ad primam dubitationem concedo,sepè contingere,vt eandem rem diuisionis incapacem modo persona vna petat, modo duæ,modo plures; & ex his vni, vel pluribus nullum ius competat; alijs ex parte tantum; alij vel alijs ex toto: non tamen hinc sequitur, Analogiam quatuor terminorum singulis his casibus aptari non posse. Nam vbi

per-

personæ plures sunt,quot sunt personæ, tot Analogiæ construendæ sunt;si persona vnica ius prætendit, vnicam Analogiam construere sufficit. Exemplum.

Quotiescunquè persona vna ius petit, ea vel nullum ius habet, vel habet ius plenum, vel habet ius ex parte tantum. Si nullum ius habet, id ex Analogia illico cognoscimus; quia hæc persona nullam rationem habebit cum medio termino hoc modo.

Vt se habet Achilles ad Thersitem,ita ius Achillis ad ius Thersitis:

Sed valor Achillis est 12. & valor Thersitis nihil:

Ergo, & ius Achillis est 8. Thersitis nihil.

Quare Thersites omnino excludendus.

Si verò persona habet plenum ius,id Analogia, vel ab æquali, vel ab inæquali maiore,vel minore ita patefaciet.

Vt se habet Alexander ad Carolum Magnum, ita ius Alexandri ad ius Caroli.

Sed valor Alexandri est æqualis valori Caroli.

Ergo & ius Alexandri æqualis erit iuri Caroli. Idem dicas,si argumētum sumatur à persona maioris,vel minoris meriti: immò etiam si Analogia sumatur ab oppositis, quia sicut propositum in proposito, ita oppositum in opposito.

Si verò personę fuerint duę,aut plures duabus,

de ſingulis conſtruendæ ſunt Analogiæ; & eæ indicabunt ſemper, cui nihil iuris competat, cui cōpetat, & quantum. Dignior. n. in his ſemper prȩferri debet.

Si verò res petita diuiſionem recipit, vt hȩreditates, prȩdia, nummi, & ſimilia: Analogias pariter tot conſtruere opus eſt, quot ſunt perſonȩ ius prȩtendentes. Ratio autem petendi erit titulus, puta filiatio, hæredis inſtitutio, donatio, emptio, infeudatio, & id genus, atquè ita pro ratione, vel totali, vel ex parte tituli elicietur ius cuiuſcunque. Sicut enim virtutes in optima Republica ſunt rationes præmiorum, ita in commutatiua tituli ſunt rationes iuris, quod cuiquè competit. Per hæc patet ſolutio ad primam, & ſecundam probationem minoris propoſitionis primæ dubitationis.

Ad tertium, cum idem homo plures res petit, dicendum, Analogias quoquè plures formandas eſſe, tum vt pateſiat ratio meritorum eius, ſiue tituli ad ſingulas res, quas petit: tum, vt innoteſcat, an alijs ius competat ad eandem rem; & pro meritis, ſeu titulo concludendum erit, an ei ius competat, nec ne, & ſi competat, an in totum, an ex parte, habita etiam ratione boni communis.

Ad ſecundam dubitationem reſpondeo, Analogias noſtras quæſtionibus facti non deſeruire, ſed iuris tātum, ſiue ius quȩratur circa ordinem,

ſeu

ſeu telam iudiciariam, ſiue circa meritum, aut negotium principale. Vbicunquè enim iuſtitia, vel iniuſtitia locum habere poteſt, locum quoquè habent Analogię. At tàm circa meritum, quàm circa ordinem iuſtitia, & iniuſtitia contingere ſolet. Vt ſi actori plus tribuatur, quàm reo, vel è cõtra. Ergo Analogiæ etiam quæſtionibus ordinis ancillantur.

Ad tertiam Analogię examinant numquę à principibus, aut populis, ſeu conſuetudine ſancita ſunt, & in mores recepta, iuſta ſint, nec ne. Ideo conſuetudines quędam dicuntur rationabiles, quia participant rationibus, quibus conſtat Analogia; quędam irrationabiles, & abuſus, quia repugnãt his rationibus: idem dicatur de legibus, & plebiſcitis: ſi enim Analogijs cõſentiunt, iuſtæ ſunt, ſin minus, iniuſtæ; ſi omnino, & in totum recedũt; omnino, & in totum ſunt iniuſtæ, ſi ex parte tantum diſcordant, ex parte quoquè iniuſtę ſunt.

Ad quartam, ęquè certum eſt, Analogias expendere tacitas, & ambiguas conuentiones, & quantum iuris contineant, explicare, tàm in acquiſitionibus, quàm poſſeſsionibus, & recuperationibus.

Ad quintam, Analogiam arithmeticam non reijcimus, quin amplectimur. Sed longè diuerſa conditione, & ratione ab alijs. Harmonica non

ar-

arbitramur iustitiam indigere, nec alijs proportionibus, si quę sint; quod Geometricam, & arithmeticam sufficere, experimur.

Ad sextam censeo cum Aristotele, iura omnia, & leges omnes esse perpetuas, & immutabiles: videri autem nobis mutari, quia nos mutamur. Vt enim in arte Medica pręcepta perpetua sunt; minimè tamen semper eis vtendum. Sed pro morbi natura, corporisquè affecti temperamento: quod si constitutio mutatur, medicamentis alijs vti debemus. Ita in rebus ciuilibus, leges iustę, iustę semper sunt; Verum si Reipublicę status, aut ciuium conditio mutetur, leges priores non sunt amplius accommodatę, sed nouis opus est. Quare vt verum vero semper consonat, sic leges legibus mutatioquè omnis in nobis tantum sita est. Ergo nec ius ciuile (si vere ius est) discordare potest à Canonico, aut Municipali, aut à rationabili consuetudine, nequè diuersarum Rerumpublicarum leges inter se pugnare possunt. Sed (si ad analogiarum amussim sancitæ sunt) cunctę iustę sunt; verum hæ huic ciuitati, illę alij accommodatæ sunt pro varia ciuium dispositione; singulis ergo Analogię deseruiunt.

Ad vltimam dubitationem concedo, antiquos Iurisconsultos Analogiarum vsum agnouisse, pro conditione eius Reipublicæ, in qua degebant, & de qua scripserunt. Quare sicut ea Respublica

non

non fuit optima, qualis esse debet Respublica Christiana, nequè leges eius perfectæ, & optimæ esse potuerunt; quare emendatione egebant. Adhuc priscorum leges non omnibus casibus deseruiunt. Casus enim (vt vulgo dicitur.) plures sunt, quàm leges. Quare multa quoquè addere oportuit. Tandem leges obscuræ videntur; ergò interpretatione opus fuit. Nullum horum absquè Analogia effici potest. Sacrorum ergo canonum conditores Analogia multa antiquorum errata emendarunt, recta quædam addiderunt, plurima interpretati sunt. Reges, Respublicæ, cęteriquè Dinastæ nouas leges orbis Christiani Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, oppidis accommodatas sanxerunt. Adhuc tamen duas præcipuè ob causas Analogijs egemus. Adhuc post sacros canones, post leges additas, plures sunt casus, quam leges; argumentum à simili ductum omnium maximè imbecille & fallax est; adhuc velimus, nolimus iudicum arbitrio plurima, præcipuaquè relinquenda sunt; adhuc de intellectu veterum, & nouarum legum, sacrorum canonũ dubitatur, disputatur, tantum non digladiatur; adhuc populorum dispositio, affectio, conditio mutatur, semperque mutabitur: in dies noua commerciorum genera, nouę quotidię fraudes emergunt. Quì difficultates has tollemus, quì incommodis his medebimur, nisi analogiarum tutissimis pręsidijs?

sidijs?

ſidijs? Hæc eſt prior cauſa: altera eſt, quia neque leges ciuiles, neque ſacri canones intelligi perfectè queunt ſine analogijs. Quicquid cognoſcitur, per ſuam formam cognoſcitur; hominem non noui, ſi quid anima rationalis ſit, non noui: ergo neque leges ſcio, ſi Analogiam, quę legum anima eſt, ignoro. Scire quod (ſcite in analyticis poſterioribus aiebat Ariſtoteles,) & ignorare propter quid, eſt ipſum quod ignorare. Si oculis ipſis effectum aliquem cerno, vt lunam deficere; ſed propter quid, id eſt cauſam deliquij ignoro: ignoro ipſum quod, ideſt lunam eclipſim pati. A' pari, ſi ſcio leges, ſed earum cauſam, ideſt Analogiam ignoro, leges ipſas me ignorare, fatendũ eſt. Quia ſcire eſt, rem per cauſam cognoſcere. Quandiù ergo legum cauſas ignoramus, leges ipſas ignoramus. Nec mirum: ſuaſmet enim leges Deus omnipotens Analogię legibus ſubijcere voluit, dum in ordine, pondere, & menſura (hę nil niſi exactæ Analogię Geometricę ſunt) conſtare voluit. Quibus quid pulcrius, iucundius, ſublimius? De his & vates ſacer, erudimini, qui iudicatis terram. Hęc de Analogia Geometrica, iam ad arithmeticam accedo.

ANA-

ANALOGIA ARITHMETICA
Errata in iustitiam indicat, & emendat.

Cap. X.

IVDICIS munus geminum est. Quid iustum sit inuenire: & si à iusto aberratum sit, errorem detegere, & emendare. Primum ope vnius proportionis Geo metricæ assequimur, secundum auxilio solius proportionis Arithmeticæ. Quare iure dixit Aristoteles, iustitiam emendatiuam alia proportione à Geometrica constare, ideſt Arithmetica. Id quomodo se habeat, explicandum. Analogia Arithmetica ea proprietate prędita est, vt acceptis tribus quibusuis numeris secundum hunc processum dispositis, ideſt quorum secundus ita excedat primum, vt ipse exceditur à tertio, vt sunt isti.

9. 11. 13.

SI auferamus à tertio excessum tertij ad secundum, & hunc excessum addamus primo, omnes numeri erunt æquales. Exemplum. 13. excedunt 11. binario, auferamus à 13. binarium, restant 11. addamus idem binarium primo numero

ideſt 9 fiunt 11. ideſt ſinguli ſunt æquales: Idquè perpetuò verum eſt.

At quotieſcunquè à iuſto deflectimus, tres numeri ſemper conſtituuntur iuxta hanc progreſſionẽ Arithmeticam, ſi eos ita collocemus, vt primo loco ponamus numerum minorem, ideſt acceptum, ſecundo loco iuſtum valorem iam inuentum per Analogiam Geometricam (Hoc enim præſupponere ſemper neceſſe eſt) & tertio loco ponatur datum, ſiue numerus maior.

Ergò vbicunquè aberratur à iuſto, auferendo exceſſum tertij à ſecundo, & illum addendo primo numero, ſinguli tres numeri ſunt ęquales inter ſe, ſiue ambo extremi redduntur æquales medio, in quo conſiſtit iuſtum; & ita iniuſtitia aufertur, & emendatur. Exemplo doctrina clarior reddetur.

Titius vendit domum, quæ valet octo coronatos: ſtatuamus ergò in medio 8. Seius, qui vult eam emere, debet habere in pecuniâ item coronatos 8. Ponamus hos numeros à latere dextro; à latere autem ſiniſtro ponamus octo pro domo, hoc modo.

Domus Titij 8. iuſtum pretium eſt 8.
Seius habet coronatos 8. Omnes hi numeri ſunt æquales: quare ſi Titius det domum Seio, & Seius det Titio coronatos 8. datum eſt ęquale accepto, quare permutatio eſt iuſta, & nemo fraudatus eſt.

Si

Si verò Seius accipiat domum à Titio, & det Titio ſolum coronatos 6. ſibiquè retineat 2. Seius habebit domum quę valet 8.

Inſuper retinet ſibi coronatos 2. ergò Seius habebit decem. Titius tamen habet ſolum 6. quare inęqualitas eſt, & iniuſtitia: vt hunc errorem emendemus, numeri ſtatuendi ſunt ſecundum proceſsionem arithmeticam hoc modo.

Titius recipit coronatos 6. valor domus eſt 8. Seius habet 10. Ecce proportionem Arithmeticam declarare nobis errorem. Aufer ergò à Seio 2. remanent ſibi 8 adde illa duo Titio, & ipſe habebit 8 Medium quoquè erat 8. Ergò ſinguli numeri ſunt pares: quare inęqualitas, ſiue iniuſtitia emendata eſt. Non ergò in Analogia Arithmetica conſiſtit ius, aut iuſtum, ſed iniuſtitia: nequè ipſa inuenit medium, in quo cōſiſtit ius, & ęquū, ſed illud accipit à proportione Geometrica: ipſaquè ſolum indicat; quantum à iuſto, ſeu medio aberratum ſit, & quantum auferre opus eſt à tertio, & addere primo, vt omnia ęquentur. Quare æqualitas, quam reſtituit Analogia Arithmetica, eſt eadem, quam inuenerat Geometrica, & conſequenter hallucinantur, qui affirmant, aliam æqualitatem inferri per Analogiam Geometricam, & aliam per Arithmeticam, cum ſit vna, & eadem, tàm in commutationibus, quàm diſtributionibus, contributionibus, & vindicatio-

nibus . Aliud exemplum ſumamus . Seius abſcindit brachium à Titio . Status hic erit.

Titius habet brachium vnum ideſt 1. AEquum erat, vt haberet brachia 1. Titius habet brachia 3. Nam iuris fictione brachium, quod abſcidit, ſibi attribuiſſe dicitur.

Ergo proportio Arithmetica erit hæc 1. 2. 3.

Seius ſuperat medium brachio. 1. Ergò, vt iniuſtitia tollatur, tantum auferendum eſt à Seio habenti tria brachia, quantum valet vnum brachium; & addendum eſt Titio hoc modo

do	1.	2.	3.
	adde. 1.		aufer 1.
	fiunt. 2.	2.	remanent 2.

Et ita omnia ſunt æqualia, & iniuſtitia ablata eſt.

SOL-

SOLVVNTVR RATIONES adductę Cap. iij. pro communi opinione.

Cap. XI.

EORVM opinionem c. 3. retulimus, qui putant, Aristotelem diuisisse iustitiam tanquam genus in species, in distributiuã, & commutatiuam: huiusquè materiam esse bona priuatorum, illius bona publica; huius finem ius ex æqualitate, illius ius secundum proportionem; huius formam, vt multi vocant, siue proprium instrumentum, Analogiam Arithmeticam, illius Geometricam. Hæc vera non esse ostendimus; quia non iustitiam in species Phylosophus diuisit; sed iustitiæ duo esse munera docuit; iustè tribuere; & si erratum fuerit, emendare: quare loco commutatiuæ restituimus cum Aristotele emendatiuam: tàm distributiuæ, quàm commutatiuæ, vtramquè Analogiam deseruire, palam fecimus; vtrobique enim, & ritè agere, & errare contingit; quare vtraquè eget tum directione proportionis Geometricæ; tum ductu Arithmeticę ad erroris quantitatem eruendam: demum vtramquè Analogiam eandem æqualita-

tem

tem respicere demonstrauimus. Superest nunc, vt tum radicem communis erroris indicemus, tũ eorum rationibus respondeamus.

Radix erroris ortum duxit à voce græca, qua dum iuris emendatiui materiam expressit, vsus est Phylosophus. ea lib. 5. Ethic. cap. 2. est συνάλλαγμα alibi, vt lib. 9. Eth. cap. 1. est symboleçon, idquè vsitatius est Iur. Conſ. Vtriusquè significata paulò diligentius sunt expendenda. Iur. Conſ. quandoquè συναλλάγματος notionem ad ad eos tantum contractus coarctant, ex quibus vtrinque nascitur obligatio, quales sunt venditio, emptio, locatio. Quare commodatum, & stipulatio in hac priore acceptione non sunt συναλλάγματα, vt ex quibus vtrinquè non nascatur obligatio. Ita Vlp. ex Labeone Iur. Conſ l. 16. apud Labeonem. ff. de verb. sign. Aliàs amplio re intellectu συναλλάγμα, est quodcunquè negotium; ex quo actio ciuilis nascatur Quo sensu pacta dicuntur carere συναλλαγμάτων contractus verò habere συνάλλαγμα : ita Vlp. ex Aristone Iur. Conſ. in l. iuris gent. ff. de pact. Tertia notio adhuc latius patet, quam & Ethymon persuadere videtur, vt de his omnibus rebus, vel negotijs dicatur, quibus homines, dando, accipiendo facultates inter se commutant, vt pensionibus, mutuationibus, &c. Nam παρὰ τὸ ἀλλάξαι à permutando, ex quo συναλλαγεῖν res cum alio contrahere. Idem significat sym-

ſymbolęum, cuius vſus frequentior eſt; & Iur. Conſ. contractus vocabulo exprimunt, quo tamen Cic. nunquam videtur vſus, & ſi pactum, pactionem, & ſępè res contrahendas dicit 4. At Ariſtoteles longè latius συναλλάγματος voce vtitur, vt nedum contractus, & commercia quęcunquè, ſed delicta etiam, & ſcelera, omnia deniquè ciuilia negotia, quin teſtamenta, nuptias, demum perſonas, res, actiones complectatur. Ad eundem modum, & ſymbolęum latiſsimè tranſtulit. Quid latine adeo extenſę notioni reſpondeat, ignoro: & ſi Iur. Conſ. contrahere fraudē, & delictum dicunt, & Triphonius in l. ſi rerum D. de re iud. ex malo (inquit) contractu, vel delicto. Hæc igitur ex Ariſtotele eſt materia iuris emendatiui; quare dum noſtri ad ſolas commutationes bonorum priuatorum reſtringunt, Philoſophi mentem non ſunt aſſequuti: & reuera res ipſa loquitur: ſi enim iuſtitiam deſerere ſiue ex imprudentia, ſiue ex electione, æque contingit in rebus publicis, ac in bonis priuatorum; cur iſtis Analogia Geometrica in priuatorum tantum bonis pedem figit, à publicis ſemper exulat?

Ad rationes, & illorum auctoritates modo reſpondeo. Analogia Geometrica (dicebant illi) quatuor ſemper minimum terminos habet; totidem concurrunt in diſtributionibus, nunquam

in

in commutationibus, in qua personæ non attenduntur. Ergo in distributionibus locum semper habet proportio Geometrica, nunquam Arithmetica; Ergo Arithmetica locum habebit in commutationibus. Huius syllogismi minor propositio primum neganda est, quoad secundã partem; quia in inueniendo vero valore quarumcunquè rerum commutandarum, personarum ratio necessariò semper habetur. Secundo respondendum est, tàm in distributionibus, quàm in commutationibus contingere errores. Ergò in vtrisquè proportioni Arithmeticæ locus est.

Ad auctoritates responsio plana est; quia quæ Aristoteles asseruit de iustitia emendatiua, ipsi perperam interpretantur de commutatiua. Commerciorum, siue contractuum nomine non tantum bona priuatorum cõplectitur Philosophus, sed (vt diximus) res quascunquè siue publicas, siue priuatas. Quare dum distributiuæ assignat magistratus, dignitates, pecunias, & si quid tale: hæc quidem exprimit, vt notiora, & frequentiora, non vt reliqua excludat; Quicquid enim subijcitur iuri emendatiuo, subijcitur etiam iuri, quod sibi ex altera parte respondet, quod distributiuum appellatur, ad quod contributiones, & commutationes referre debemus.

At (dicunt) negat Philosophus, ius commerciorum vti Analogia Geometrica. Respondeo ius com-

commerciorum vel respicit inuentionem iussi, vel emendationem errorum. Priore modo hoc ius eget proportione Geometrica, vt docuit Arist. c. 5. lib. 5. Eth. posteriore modo non eget proportione Geometrica, sed tantum Arithmetica.

Demum obijciunt verba Phylosophi c. 4. lib. 5. Eth. [Iustum, quod in contractibus corrigendis versatur, est illud quidem æquale quoddam, & iniuria inæquale, sed non eadem proportione. Nihil enim refert (in iustitia commutatiua, vt isti exponunt) vtrum vir bonus malum fraudauerit, an malus bonum; neque vtrum vir bonus, an malus adulterium cõmiserit; Sed ad damni tantum differentiam respicit lex, & hominibus vtitur tãquàm ęqualibus] hæc ille. Ex quibus verbis putant, deduci duo contra nos. Alterum, ius commutatiuum esse quidem æquale quoddam, sed nõ idem cũ distributiuo, hoc est aliam æqualitatem inquiri in commutationibus, aliam in distributionibus. Alterum, in commutationibus, & vindicationibus personarum rationem nullam habendam esse. At reuera in vtroque falluntur. Nam emendatio restituit illud idem ius, quod inuentum erat per Analogiam Geometricam, & nisi erratum fuisset, emendatione opus non erat: quare idem est ius, dum rectè tribuitur vnicuiq; quod suum est, & dum emendantur errores admissi contra iustitiam. Quare Aristoteles non

H ne-

negat ius, quod per emendationem restituendũ est, esse idem cum distributiuo, sed solum inquit, tale ius emendatiuum non constare eadem proportione: vt sensus sit, alia proportione inueniri tale ius, alia restitui, vbi ab eo recessum est. Hanc interpretationem confirmant verba immediatè subsequentia. Nihil enim refert, &c quasi dicat. Dum iniustitias emendare volumus, formamusquè Analogiam Arithmeticam; in tali operatione nullam personarum rationem habemus. Sumimus enim solum tres terminos, siue numeros, rem datam, rem acceptam, & verum valorem rei datæ. His solis peragitur tota emendatio nullum horum est persona: quare sine personis, sine vlla personarum ratione absoluitur omnis emendatio per solam Analogiam Arithmeticam: Ideo iudex, siue lex, vt inquit Aristoteles, ad damni tantum differentiam respicit, id est ad excessum tertij termini siue numeri super medio: hominibusquè vtitur tanquam æqualibus: quia dum formamus Analogiam Arithmeticam, non ponimus discrimen inter personam, & personam, sed sumimus personas omnes vti æquales, & ita distribuimus terminos.

Titius habet domum, quæ valet 8. Seius, qui vult emere domum, habet coronatos 8. Ergo Titius, & Seius æquales sunt respectu huius Analogiæ Arithmeticæ. Hic est sensus verborum Ari-

Ito·

ſtotelis. At in indagando vero rerum valore, puta hominis interfecti, brachij præcisi, & similium, vtiquè iudex perſonarum rationem attentiſsimè circumſpicere, & penſare debet: quare aliter plectit, qui percuſsit hominem magiſtratum gerentem, aliter qui percuſsit hominem ex infima plebe. Niſi ita interpretemur, ſummum Philoſophum à contradictione vendicare in re clara, & perſpicua minimè poſſumus, qui apertè in commutationibus, & pœnis Analogiam Geometricam, & perſonarum rationem neceſſariam eſſe, docuit.

AN IVSTVM MELIORE VIA, Quàm Analogijs indagari poſſit, & de facili iuſti inuentione. Cap. XII.

OMNIS ars, omnis diſciplina, cuius finis eſt non cognitio tantum, ſed opus aliquid, ſiue operatio, non ſolum docet, qua ratione opus ritè edi, & effici poſſit; ſed & quonam pacto idem opus, ſeu operatio facillimè, & quam expeditiſsimè fieri queat. Ars Medica nedum curare, ſed cito, tuto, & iucundè curare docet: Logica, & Rhetorica non ſolum de inuentione medij Syllogiſtici, & Enthymematum agunt, ſed circa facilem inuentionem, Oratoriam hæc, Dialecticam illa maximè verſantur. An idem in iuſtitia præſtari poſsit, vt non tantum iuſtum inuenire, ſed & quam facillimè, & expeditiſsimè inuenire poſsimus, conſiderare expedit.

Dicet enim aliquis. Via melior eſt, quæ certior, facilior, breuior. Singula hæc habet Analogia. Certitudo enim eius, ſi illationem ſpectemus, Mathematicis diſciplinis par eſt: Materia autem ſenſui vt plurimum, & experientiæ quotidianæ

tidianæ

tidianæ ſubijcitur, ergo Analogia certiſsima eſt.

Viæ faciles ſunt, quæ cum alijs non commiſcentur, ſed recto tramite ad terminum ducunt. Analogia haud alijs methodis complicatur, rectà dirigit, ductu non interrupto, nec interpellato.

Analogia duabus ad ſummũ rationibus eget; has reperire non videtur difficile. Medium enim Geometricum eſt vel æquale, vel inæquale. Si æquale, eſt vnicum in vnoquoquè genere: ſi inæquale habet tot membra, vt vix fieri poſsit, quin aliquod eorum nobis vltro obuiam fiat, cuius vnius ope cætera cuncta in eo genere indicantur. Ergo via Analogica vbique certa, facilis breuis.

E' contra ita alius differeret. Iuriſ. Conſ ſępe Argumenta ſumunt à definitionibus, à generibus, differentijs, ſpeciebus, proprietatibus; à ſingulis quoquè cauſarum generibus; ſed & à conſequentibus, ab oppoſitis, à loco, à tempore, à maiore, à minore, à pari, à ſimilibus, & diſsimilibus, à coniugatis, & reliquis locis, quos Topicos vocant. Ergo ſi Iuriſ. Conſ. nil niſi iuſtum quærunt; his quoquè locis iuſtum inquirunt, & venantur. Ergo omnes hi loci ſunt methodi, ſeu vię ad iuſtum, & æquum eruendum, & inueniẽdum. Ergo non ſolę Analogiæ ſunt methodi iuriſprudentiæ, vt ego aſſerui.

Adhęc, omnes rationes eductæ à locis topicis habent eandem vim illatiuam, siue syllogisticam, quam habent Analogiæ; quia formæ syllogizandi æquè communes sunt Analogijs, ac cæteris syllogismis ex Topicis petitis. Ergo hę rationes ęquè certę sunt, ac Analogię, sed & æquè breues sunt, & faciles, quia & istæ non egent nisi vnico medio.

Demum Aristoteles in lib. Rhetoricorum, & Topicorum latè de inuentione iusti agit, locosq; & ideas quamplures huic tantum inuentioni seruientes longo sermone docet. Si duæ Analogiæ sufficiunt, eæquè breuissimæ, & certissimæ quid opus erat in Rhetorica, & Topicis lectorem tot locis, & formis frustra morari?

Quęstio hæc quoad certitudinē ita dirimitur. Vnum medium, quod Analogia Geometrica nobis exhibet, est iuri, quod quæritur, necessario annexum; ergò vnicum hoc medium certitudinem parit. Nam si argumentemur à simili, quod hac Analogia destitutum sit, vt plerique faciūt, argumentum est admodum fallax, & incertum; quia maior semper in vnaquaquè re est dissimilitudo, quàm similitudo. Si vtamur tantum auctoritate; ea quidem, si diuina est, certissimam fidem gignit, non autem scientiam, quia auctoritas methodus non est; licet ei vt plurimum Analogia subsit. Si verò auctoritas humana est, tota Ana-

logiæ

logiæ innititur, aut nihil valet, vt dixi. Si ab alijs demum locis Topicis syllogismi sumantur, qui Analogia careant, quæstionibus tantùm facti deseruiunt, non iuris, quod nos quærimus: exempli gratia. Cum dubitatur; an quis furatus fuerit, adulterium commiserit, hominem interfecerit, argumenta sumimus à definitione, à differentijs, à proprietatibus, à loco, à tempore, & huiusmodi: quibus an furtum, adulterium, homicidium admissum sit colligitur; quæ ad factum, non ad ius spectant. Quare solæ Analogiæ ius nobis certò exhibent. Et hęc est solutio prioris rationis.

Ad secundum fateor, vim syllogisticam inesse omnibus syllogismis à locis Topicis erutis; cęterum nec forma syllogistica omnibus eadem, vt patet ex figuris syllogizandi, complicationibusquè medij, nec si eadem cunctis ex æquo inesset; id nobis officeret, cum non ius, sed factum illi probent.

Ad tertium dico, oratorem non circa ius tantum occupari, sed maximè circa factum; quare omnes illi loci explicandi fuerunt ab Aristotele. Formæ verò non sunt methodi, sed propositiones, quas vocant maiores, quas paratas habere plurimum confert, quia eis subnectendo casum, de quo agitur, illicò ius conspicitur. Quia & ipsæ formę per Analogiam inuētę sunt, & sine Analogia rectè percipi à nobis non possunt. Quare

ana-

analogijs ſolis iuris cognitionem omnio debemus.

Quod autem ad facilem iuſti inuentionem attinet, certum quoquè eſt; ſi ſelectas, paratasquè habuerimus, & nos formas, ſeu propoſitiones in iure, quales ſelegit Ariſtoteles in Topicis, & in lib. Rhetoricorum de bono, de maiori, & minori bono,& id genus; longè faciliorem nobis futuram iuris inuentionem, quotieſcunquè ea opus habuerimus,vt in ſingulis artibus euenit: Quod autem ad Analogiam Arithmeticam pertinet, vſu iam receptum eſt, vt non integram conficiamus,ſed minorem tantum numerum conferamus cum medio; quia ſubducēdo habemus exceſſum medij,qui additus primo eum medio æquat. Hæc de methodo propriè dicta, quoad inuentionem ſatis ſint. Verum, quia diſpoſitio,& ordo plurimum confert, quin omnium maximè neceſſarius eſt ad facilem inuentionem, de eo quoquè nonnulla addam.

DE-

DE METHODO IMPROPRIE *Dicta, ſiue de ordine, quo iuriſprudentia tradenda ſit. Cap. XIII.*

ORDINIS ſpecies tres eſſe, putauit Galenus, Compoſitiuum, Reſolutiuum, & Definitiuum. Recentiores definitiuum reiecere; compoſitiuum, & reſolutiuum tantum amplexati ſunt: illum ſcientijs, hunc diſciplinis operatricibus accommodatum eſſe contendunt. Ego vel vnicum ordinem ſufficere, credo, compoſitiuum ſcilicet; eumquè æquè artibus, & diſciplinis operatricibus, ac habitibus ſpeculatiuis deſeruire, ratio, & Ariſtotelis auctoritas mihi perſuaſere. Vbiquè Ariſtoteles clamat, ab vniuerſalioribus, à communioribus ordiendum; vbiquè à principijs, cauſis, & elementis cognitionem omnem pendere; practicas diſciplinas à ſpeculatiuis ſeiungi fine tantum, & ratione tractandi, quod ſcilicet in practicis figura quadam, & pingui minerua agendum ſit, quan tum fini confert, qui eſt opus, vel operatio: in ſpeculatiuis exactiſsimè cuncta perquirenda, rimanda,

manda, intimè penetranda: In his enim finis est exacta cognitio: in illis opus; quare tanta solum exigitur cognitio, quanta operi ritè, & facilè conficiendo necessaria est. At ordo compositiuus egregiè tàm exactæ, quàm rudi cognitioni aptatur; quare nihil est, cur alios ordines desideremus. Ab vniuersalioribus ergo etiam in iurisprudentia inchoandum vsq; ad species athomas. Indiuidua enim sensui subijciuntur. Diuisio est ordinis auriga, qua vsus est Aristoteles, sequamur & nos. Iustitia scilicet alia est vniuersalis, alia particularis. Illa, quæ Deo debemus, edocet; hæc, quæ hominibus. Vtriusquè partes duæ, quæ accepimus, & quæ reddere debemus, quod si non reddimus, cui pœnæ obnoxij simus. Quare iustitiam ad quatuor capita reuocamus, ad contributiones, distributiones, commutationes, & emendationes. His singulis vtramq; methodum aptare molior. Quid lucis compendium hoc allaturum sit, alij viderint. Si quid rectè Regum Regi IESV CHRISTO honor, & gloria.

FINIS.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Petraſancta Inquiſit. Brixiæ.

Pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Epiſcopo
Octauius Hermannus Præpoſit. S. Laurent.

Imprimatur.

Pro Sereniſs. Republ. Octauius Rubeus.

Errata			Legend.
In Epiſtola Dedicatoria			
Pagina	3.	Rota	Rotæ
Pagina vltima		deuotiſſime	diutiſſime
Fol.	7	Geomotrica	Geometrica
Fol.	9	iniuria	iniuriæ
	12	ſe perpetuum	eſſe perpetuum
	15	Qui enim	Quì enim
	16	tantummodo	tantum modo
	20	prima	primum
	25	quod vlterius	quid vlterius
	29	eadem prætendant	eandem prætendant
		Qui Analogia	Quì Analogia
	31	æcumenicis	œcumenicis
	34	his vni	his vt vni
	39	Dinaſtæ	Dynaſtæ
	44	haberet braciæ. 2.	haberet brachia duo
	47	Simboleum	ſymbolęon
		At Ariſtoteles.	4 At Ariſtoteles
	48	in qua perſone.	in quibus perſonæ
	55	Quia, & ipſæ formæ.	Quin & ipſę formæ